

Q.k.364,16.

(X1882642)



DEI
ET SUPERIORUM GRATIA!
IDEAM BONI HI-
STORICI,
In Academia Lipsiensi
proponit
PRO LOCO

*Apud Inclytam Facultatem Philosophicam conse-
quendo, prima vice disputaturus*

M. CHRISTIANUS Weise/

Zittâ-Lufatus,

Ad d. 19. Dec. M DC LXVI.

H. L. Q. C.

L I P S I A,
Typis Viduz HENNINGI COLERI.



Hg.



[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mirrored and difficult to decipher.]





J. J.

SI De Historiarum laudibus prolixas
 necerem periodos, alienum facerem non à ma-
 teria, certè tamen à scopo. Non enim istud à
 me susceptum est negotium, ut quod communi
 Eruditorum, aliàs inter se dissentientium, consen-
 su jam probatum est, multis verborum ambagi-
 bus illustrem; Sed potius ut in eo capite, ubi & diversa sentien-
 di, & in utramq; partem disputandi sufficiens datur materia, cer-
 tam eligerem sententiam, exquisitisq; rectè statuendi rationibus,
 virgulam censoriam, scriptoribus in hoc genere tantum non o-
 mnibus adhiberem. Proinde præsuppono, nihil historia esse
 utilius, nihil jucundius, nihil ad vitæ communis usum conducibi-
 lius: Imo quod primo dicendum erat, præsuppono, qui sint Hi-
 storici, nimirum qui res inter homines gestas, ab ætatis nostræ
 memoria aut remotas aut removendas aliquando, habita poste-
 ritatis cura consignant, testes sunt temporum, lucem accendunt
 veritati atq; propositis tanquam in scena & virtutum & viti-
 orum exemplis, tacitas imo expressas bene beateq; vivendi regulas in
 lectorum animis relinqvunt. Atq; si talia dixerò, ultro se divi-
 dunt Philosophi, quibus lubitum fuit sub hoc titulo delitescere,
 qualis est Theophrastus & Dioscorides in historia Plantarum, Pli-
 nius in historia mundi, noster etiam Aristoteles in historia anima-
 lium, aliiq; complures. Soli enim sub nostram cadunt curam,
 qui de actionibus humanis sunt solliciti.

Quemadmodum autem, quæ jam dicta sunt, facile credun-
 tur ab omnibus: Ita ex adverso, quæ de bonitate & æstimatione
 historicorum proferri debent, majori implicantur & varietate &
 difficultate. Sunt quidem in promptu regulæ, ad quas se com-

A 2

ponat

ponat bonus historicus; verum enim vero celeberrimos viros in diversa & contraria abire iudicia manifestum est, praesertim si de operibus jam confectis sententiam dicere jubeantur: Taciti historiam quam Alciatus, senticetas dixerat, Bodinus divinam appellat, & scriptorem, quem Tertullianus mendacissimum, Budæus sceleratissimum vocant, Heinsius ocellum providentiæ, corculum sapientiæ nominat. *Bodin. Meth. Hist. cap. 4, Mart. Zeil. Indice Histor. part. 2. p. 141.* Cromeri historiam Polonicam paucis ast accuratis laudibus extollit Jesuita Possevinus. *Bibl. sel. lib. 16. cap. 43.* ita tamen, ut contradicentem habeat cum Kekermanno Brunnerum Annalium Boicorum scriptorem. *Keek. Comm. de nat. & propr. Hist. p. 47. Brunn. lib. 10.* Notabile est, quod Possevinus de Gviceiardino, historiae Italicæ scriptore, adducit l. c. cap. 41. Thomas Porcacijs Italus, cujus iudicium anno 1574. è typographia Angleriana egredi viderunt Venetiæ, omnes ei tribuit perfectiones, quas quidem Plato in Philebo exposuisset: Lipsius vero, ubi eum vocasset inter nostros summum Historicum, inter veteres mediocrem appellare non dubitavit; Tandem quidam Joh. Baptista Leo, in suis de ejusdem historia considerationibus editis anno 1583. multa imo plurima in ipso desiderat, quæ ad genuinæ laudis consummationem maximè spectant. Dubiam igitur ut ingrediar viam necesse est: Jacienda tamen est alea, & si forte plurimis displicuero, vel si rem acu non tetigero, sufficet mihi, quod in optimam partem inclinare voluerim. Nunc ipsam rem aggressurus, ut instituti ratio constet, Ideam Boni Historici tribus absolvam capitibus, ita ut primo de structuræ historicæ materia, deinde de forma interna, tandem de forma etiam externa breviter agam. Nam de Adjunctis & Consequentibus aliud tempus, si vivam, me differentem videbit.

CAPUT I.

§. I.

Herodotus
Thucydides. **S**plendor decet Historicum, splendidum igitur & pulchrum initio eligat argumentum, quod sua dignitate attentionem; Voluptate constantiam lectoris provocet. Atq; id est, cur Dionysius Halicarnassæus Herodotum Thucydidi multum præ-

præferre non ambigit. Iste nimirum de bello scripserat nec honesto nec fortunato : Ille communem Græcorum ac barbarorum historiam varia permixtione pertexerat, ut nihil præteriret, quod apud utrosq; admiratione dignum contigisset. Eadem ratione Platinam in historia valitulum fuisse, testatur Erasmus, si nactus fuisset argumentum felicius; Scripsit autem vitas Pontificum, quæ interdum quantæ quantæ sunt, fabulæ sunt. Nec Lipsius dissimulat, Curtium majus ingenii documentum dare potuisse, si argumentum habuisset varium magis. Sola enim bella spiraverat Alexander.

Platina

Curtius

§. II. Fieri tamen potest, ut alieni arbitrii stimulos potius, quam proprii ingenii libidinem sequi cogatur historicus, id quod in aula versantibus sæpe contingit : Dio Cassius Severi Imperatoris jussu historiarum libros confecit; Bonfinium ad rerum Hungaricarum Commentarios impulit Matthias Corvinus; Cardinalis Baronius in scribendo Martyrologio Autorem habuit Gregorium XIII. Pontificem; Osorii historiam Lusitanicam Henrico Cardinali postea Regi debemus; Meursii in historia Danica diligentiam Christianus IV. Rex provocavit, ut reliquos taceam.

Dio Cassius
Bonfinius

Baronius

Oforius
Meursius

§. III. Nihilominus ante omnia cavendum est, ne quæ scribenda suscipiuntur, vel sint odiosa, vel incerta. Quid enim possit odium, Huberti Thomæ Leodii exquisitissimum testatur exemplum. Is quia exposuerat, quibus fallaciis Hispani Electorem Fridericum II. circumvenissent, quomodo eum, nunc Infantis Hispanicæ, modo Gubernamenti Mediolanensis, mox splendidi in Regno Neapolitanô Conjugii frustranea spe lactatum, Gallicis, Hispanicis ac Italicis itineribus cum maximo periculo implicuissent; pudibundam ipsius Principis vellicabat memoriam, ut librum in Bibliotheca Heidelbergensi ab orbis eruditi aspectu delitelcere juberet, donec tandem, si excipias Berneggerum, Lansium &c. qui eodem manuscripto usi sunt, deploranda Bibliothecæ dispersio in lucem publicam eduxit, Autorem istum, in quo invenit Germania, ut Galliæ non amplius invidet Cominæum. Adjungere huic possemus Franciscum Picum, cujus historia in hunc usq; diem suppressa fuit, non quod morte præventus ultimam manum imponere non potuerit, sed ut sentit Vossius, quod multa liberiùs inibi dicta fuerint.

Hubertus
Thomas

Franc. Picus

A 3

§. IV.



Franc.
sarius

Ro

§. IV. Neq; inulti scribunt, qui hominum in se concitant odia. Vindictam enim in Gallia expertus est Franciscus Rosarius, cum anno 1580. eo ipso tempore, ubi ad occasum inclinante Vallesiorum progenie, Duces Guisii, percussis contra Henricum III. foederibus, regnum spe sua devoraverant, publici juris faceret Ducum Lotharingæ Genealogias à Carolo M. deductas. Liber enim damnatus, Autor vix impetravit veniam, ea tamen lege, ut publicè palinodiam caneret, crimenq; læsæ Majestatis confiteretur. Sic Baronius, quod XI. tomo Annal. Regis Hispanici in Regno Siculo potestatem, directo Pontificis dominio nimis subjecisset, non solum scripta ista manu carnificis Palermitani concremata fuisse sensit, sed etiam cum post obitum Clementis VIII. Pontificiam dignitatem facile potuisset indipisci, pro jure, quod Reges in conclavi sibi tribuunt, ab eodem Rege exclusus est.

Baronius

Paulus Ser-
vita

§. V. Atq; hinc Paulus Servita, homo Venetus, cum ferret animus Concilii Tridentini historiam memoriæ prodere, & quæ Pontificum, quæ Episcoporum, quæ Gallorum & Hispanorum præcipue in negotio præcedentiæ fuissent consilia, exponere, odium melius à se non potuit removere, quam ut assumpto Petri Svaivis nomine, tanquam Apelles post tabulam latitans, aliorum judicia liberius & securius exciperet.

§. VI. Communius est stratagema, in historiis præsertim particularibus, ut dempto nomine rem exequantur; quis enim descripsit Catharinam Medicæam in Gallia, quis Donnâ Olympiam in Italia? quis Cromwelum toties fatigavit? quis Richelii & Mazarinii ministeria, diligentia sæpius repetita aliter atq; aliter in publicum emisit? quis vitas les Surintendants des Finances de France Germaniæ nuper communicavit? Latent & latebunt illustria, suâ obscuritate nomina, nec cuiquam hujus scriptionis gloriolam nimis invidebunt.

§. VII. Qui tamen & hac via suæ fortunæ metuit, is talia sub incudem revocet facinora, quibus composito ad quietem post fata livore, nec amor nec odium dominari videtur, missisq; in antiquitatem oculis suæ timiditati consulat. Nam, ut ait Zacharias Theobaldus in præfatione Belli Husfitici, istud historiæ factum est, ut libertius & tutius ea absolvantur, quæ à nostra ætate lon-

lon-

longius absunt,quam ea,quorum nosmet ipsi testes esse possumus.

§. VIII. Quemadmodum autem odiosa periculum, ita incerta post se trahunt ludibrium. Id quod videmus in Polydoro Virgilio, qui ex Italia oriundus, Pontificis in Anglia quaestor, sed rerum omnium in ista Republica expertus, ejus tamen descriptionem aggredi ausus est: ut non immerito de ipso ludat Owenus:

Polyd. Virg.

*Virgilii duo sunt: alter Maro, tu Polydore
Alter: tu mendax, ille poeta fuit.*

Sic etiam Barclajus id effugere non potuit: quippe quod in Icone animorum multa de Polonis scripsisset, vano aut incerto rumore ad se perlata, censorem habuit anonymum, cujus Poloniam defensam emisit officina Forsteriana, qua Dantisci est.

Barclajus

§. IX. Merito igitur Bodinus cap. 4. commendat Guicciardinum, quod in sua historia res Turcicas & Persicas prudens omiserit, ne de rebus parum sibi compertis temere affirmaret. Nec est cur Claudius Vergerius, in sua censione Autorum, Paulum Aemilium carpat, quod de oleo ad reges inungendos caelitus demisso, de quo liliis praeterire maluerit, quam ut sententiam suam interponere cogeretur. Melius profecto sibi consuluit, quam Andreas duChesne in historia generali Angliae, qui citante Limnaeo scribit, oleum ad inungendum in auguratione Regem Angliae, matrem Salvatoris S. Mariam attulisse. Nam quid magis incertum, quid magis incredibile esse potest, his fabulis?

Guicciardinus

Paul. Aemilius

Andr. du Chesne

§. X. Alia forsitan est ratio eorum, qui de sanatis a Regibus Galliae strumis, de expulsis per Reges Hispaniae cum signo crucis Daemonibus; de curatis a Regibus Angliae Elephantiacis imo quod facilius ad superiorem thesin rejici potest, de expeditis balbutientibus per osculum Principis Austriaci, proluxa fecerunt verba. Certiorem enim praeseferunt experientiam. Vide discursum satis accuratum Limnæi 7. P. 1. 4. l. 5. cap. 2. n. 8. & 9. p. m. 671. seq.

§. XI. Tandem nihil scribatur quod non sit honestum. Quo in genere Bodinus probat Tacitum, quod foedisimas Principum libidines, a Svetonio nimis studiose annotatas, tacite praetermiserit; Magis vero invehitur in Lampridium, qui tot porten-

Tacitus
Suetonius
Lampridius



Petrus Jarrigius.

ta novarum voluptatum ab Heliogabalo inventa describat, ut non magis ea narrare, quam unicuique ad imitandum proponere videatur. Imo si jam revivisceret Bodinus, quid de Petro Jarrigio sentiret, cujus Jesuita in ferali pegmate, tantas obscœnitatum, sodomitiarum & impuritatum formas omnium oculis objicit, ut vel lapideus sit, qui sine scandalo adiones istas obliquo saltem lumine lustrare possit. Fugiant talia scelera lucem, lucem igitur eorum quoque fugiat memoria.

CAPUT II.

§. I.

Xenophon,
Guevara
Barclajus

Sic de historiæ argumentis certa stat sententia: altera nunc de rerum gestarum varietate cura sit. Testis enim veritatis non falsitatis est historia: Quare in censum nostrum venire non possunt, quæ Xenophon de Cyro, Guevara in Horologio Principum de Antonino, Barclajus in Argenide de Poliarcho literis mandarunt. Philosophica enim & Politica scripta sunt, quæ soluta quasi incedunt Poësi, nec multum ab iis discrepant, quæ Homerus de Achille & Ulyssæ, Virgilius de Æneæ ligato sermone comprehenderunt. Multo minus locum hic reperiunt sculptores & pictores, quibus tamen Franciscus Patritius tantum videtur tribuere, ut sola pictura Venetiis spectanda contentus credat Alexandrum III. cervici Imperatoris Friderici Barbarossæ insultasse. *Diol. 2. de hist. def.*

§. II. Ipsa autem veritas deprehendi potest, si autor sit bonæ fidei, notusque apud suos. Nam quid tribuere possimus scriptis anonymis, quæ plerumque laborant affectibus, & sub suis larvis, nescio quam dicendi arrogant libertatem?

Jornandes
Zosimus
Arngrimus
Jonas.
Bleskenius
Levvenclavius,
Busbequius
Herbersteinus
Olearius,

§. III. Ipse Autor fidem melius testari nequit, quam si adsint documenta in promptu, quæ in lectorum animis excitent credulitatem. Facilius credimus Jornandi in rebus Gothicis scribenti, quam Zosimo, quippe is Græcus, ille Gothus ipse fuit. Rectius assentimur Arngrimo Jonæ de Islandia differenti, quam Bleskenio atque aliis, ipse enim fuit Islandus. Eadem ratione quis fidem detrahere audeat Levvenclavio & Busbequio in Turcicis, Herbersteinio atque Oleario in Muscoviticis? Ocularem enim præ
se

se ferunt inspectionem. Sic Johannes Leo, qui ut amphibium ali-Joh. Leo, quod se appellavit mox Granatensem mox Afrum, pro captu incolarum, apud quos degeret, postquam a piratis captus, Leoni X. Pontifici in donum concessisset, Africae descriptionem tam feliciter expedivit, ut ubique lectorem fiducia satis prompta detinere videatur.

§. IV. His tuto accensere possis, quorum industria in actis publicis versata est, id quod de Thuano atque Gramondo, in rebus Gallicis, Cambdeno in Anglicis, Meursio in Danicis, vel nemine asserente, ipsa conjectura approbat. An autem eò referri possit Sleidanus, penes quem quidem fuerunt acta Argentoratensia, vel istud Dresseri, in Orat. de usu hist. dubitare jubet: Ex animo meo (inquit) nunquam effluit vox Carolovicii, ejus qui sapiens, qui eruditus a plerisque habebatur & cognominabatur. Is quoties mentio Sleidani, commentariorum incidebat, ferè cum gemitu quodam multa aliter commemorabat, quam scriptor ille exposuit, affirmabatque, se non solum interfuisse, plerisque conventibus Imperii, & privatis communibusque consultationibus, actionibus & decretis, sed nonnullis etiam praefuisse, ut fidem mereri ipsius oratio jure videretur. Sic igitur de Sleidano dicebat, tanquam epiphonemate quodam narrationem claudens: Sleidani historia adimit mihi fidem omnium superiorum historiarum. Nam quae hic dicuntur pondus habent; tam facile non crederemus Florimondo de Raimond Gallo, qui narrat, Carolum V. in Sleidani libris undecim millia mendaciorum annotasse.

Thuanus,
Gramondus
Cambdenus
Meursius
Sleidanus

§. V. Est etiam in eo magna veritatis nota, si rerum quas ipsi non vidimus, idoneos testes adducamus, quod suo quidem arbitrio feliciter assecutus videtur Brachelius, qui ut confirmaret Coelites Pragae Patronos occupato a Reformatis templo, editis cantilenis vindictam Dei implorasse, Carolum Caraffam Episcopum Averfanum in testimonium adhibet. E contrario Alexandrum ab Alexandro valde carpit Vossius, quod eorum unde profecisset, dissimulaverit autores. A qua culpa se quoque liberare vix poterit Valerius Maximus, & cum ipso, qui Valerium Maximum Christianum collegit Balthasar Exnerus.

Brachelius
Alex. ab
Alex.
Valerius
Maximus
Balth. Ex-
nerus.

B

§. VI.

Phosphorus
Austriacus

§. VI. Si verò Scriptores in eiusmodi rebus negligentia incurrant crimen, quæ sunt magis notoria, in reliquis fidem perdunt, quemadmodum is, qui abscondito in decem fere literis initialibus nomine, non ita pridem edidit Phosphorum Austriacum, tanta oscitantia rem aggressus est, ut nesciret Infantis Hispanici nomen, versaretur tamen Lovanii, sub ipso Hispaniæ Regis dominio. Nam in dedicatione exhibita anno 1665. d. 5. Augusti, nominat Philippum Prosperum, cujus mortem Hispania d. 1. Nov. 1661, jam deploravit, cujus erroris veniam nemo impetrare potest, nisi qui ab Hispanicis ditionibus remotissimus, primam Genealogiarum Ritteshufianarum editionem ab anno 1658. consulit.

§. VII. Operæ pretium fuerit rem distinctius expendere, & à quibus scopulis veritati immineat periculum disquirere. Aut n. officit secunda credulitas, aut fascino facit nimius amor, sive si in contrarium rui libitum fuerit, nimium odium, vel etiam linguæ vinculum injicit conceptus in pectore metus, imo, quod securitati magis accenferi debet, in temporis, locorum, natalium, linguarum, status Politici, aliarumq; historiarum ignorantia, quæ non latent tenebræ? Hinc Franciscus Patritius cum ista secum perpendere. *Dial. 5. de Hist. ver.* parum aberat quin de omni fide desperaret.

Thucydides
Diodorus
Siculus

Aventinus
Guicciardinus
Cambdenus

Curtius
Baronius

§. VIII. Securitatis ut effugerent notam, celeberrimi laborarunt scriptores. Thucydides ut bellum cum Spartanis gestum eò melius describeret. Marcellino teste, ipse eo profectus est. Diodorus Siculus, referente Whearo, triginta annos consumsit, antequam peragratis regionibus, inspectis monumentis, multisq; tentatis, opus historicum absolveret. Aventinus, laudante Boxhornio, nihil nisi quod vetera testarentur monumenta, prodidit, in quem censum Guicciardinus ac Cambdenus à Whearo quoque reponuntur. Est tamen ubi mentientes excusare debeamus, quemadmodum Curtium de rebus Indicis scribentem, quippe quem debita veritatis documenta destituerant. Sed caveat sibi Baronius, ut putet sibi quoque relinqui istum veniæ locum. Nam si credimus Casaubono, ut illustraret Pontifices, ex libris apocryphis aut fabulosis scriptoribus, quæ ipse non dubitavit esse falsa, con-

§ IX.

§. IX. Ipsa securitatis mater ignorantia est, quæ sicut ad historiam varia requiruntur, ita etiam multiplici via incedit. Aut enim obscura est temporum mensuratio, quæ si negligatur, quantum obesse possit vel Græcorum demonstrant historiæ, quæ ante Olympiadas a deo sunt confusæ, ut nisi haberemus sacram scripturam, actum foret de omni computu. Non quidem opus est, ut in omnibus minutiis a deo simus curiosi. Parum enim refert, an urbis Venetæ originem rejiciamus in annum 421. aut cum Calvisio variis argumentis statuamus annum 429. nisi quis more Petri Justiniani Reip. thesaurum natalitium velit erigere, sed alia sunt majoris momenti: inspiciamus exemplum, quo per mortem Elisabethæ Anglicanæ, Angliæ regnum cum Scotia Magnæ Britannia titulo coaluit, quidam qui Anglico more numerare solent, annum ponunt 1602. alii nostram secuti computationem 1603, non sine confusione legentium. Taceo Thomam Lydiat, qui annum eligit 1575. Is enim in hoc tantum peccavit, ut eadem opera emendaret tempora, & historias veteri mensuræ alligatas quasi, corrumpere.

Calvisius, Petr. Justinus.

Thomas Lydiat.

§. X. Accedit ad hoc incerta locorum notitia, quam in rebus Turcicis ac Persicis Paulo Jovio fortassis non immerito tribuit Bodinus, conspirante Osorio, in historia Lusitana. Hinc etiam tantum non omnes historici, cum ad rerum gestarum descriptionem se accingunt primam in frontispicio operam collocant in exponenda regionis constitutione, situ ac felicitate, ubi velut in theatro acta fuit fabula. Ut præteream Scytharum, Indorum, Æthiopum ac Americanorum historias, quas solis Geographis acceptas referre debemus.

Jovius.

§. XI. Nec est cur hic præter modum solliciti simus de loci longitudine vel latitudine, quam quidem Cluverius in Italia pedestri itinere metiri conatus est. Talia enim non solum incerta sunt, sicut Kircherus referente Conringio in epist. ad Bunonem, annotavit, in assignando Romanæ Urbis situ quindecim Autores discrepasse; sed etiam historias non explicant. Sufficit e. g. scire vallem Telinam, longam latamq; fossam esse in radicibus montium Alpinorum versus Italiã, facilemque aditum aperire posse in Germaniã, Sic jam intelligitur, cur Ludovicus XIII. tanto conatu Hispanos eduxerit.



1002.

duxerit. Satis est si designetur Alpium impenetrabilis ferè asperitas, arcisq; Susanae præruptus situs, cum historiae produnt, quam stupendo opere per Richelii consilia Civitas Mantuana ab exercitu Imperatoris fuerit liberata. Qvis, dum audit Mariam Angliæ Reginam occupato per Gvisii dolum Caleto anno 1557. præ mœrore triduanum continuasse jejunium, imo paulo post mortem obiisse, vel Ludovicum XIV. portum Dunkerkanum 15. auri tonnis nuper ab Anglis redemisse, qvis inquam plura requirat, quam Portus istos esse ad occupandum ex utraque parte Canalis dominium, imo ad perterrendam pro libitu Galliam accommodatissimos.

Tacitus

§. XII. Sed quanta in eo posita vis est, ut Gentium natales, affinitates & cognationes expiscemur. Omnes enim tam placidè tolerandi non sunt, quam Tacitus forte, ubi Judæos quasi ab Ida monte progressos Idæos appellat. Qvis quæso Galliam superiori seculo in sua viscera sævientem describat, nisi qui ad ungvem Valesiorum & Borboniorum in morte Ludovici IX. divisam progeniem noverit. Qvis Angliæ Regis in Franciam prætensiones, è suis eruat originibus, qui Eduardi III. cum Philippo Valesio & Henrici VI. cum Carolo VII. nesciat controversiam? Qvis impetratas à domo Austriaca per mera matrimonia divitias sine hoc lumine possit perlustrare? Rohanzus profecto, cum descripturus in interesse Principum, ad negotium Juliacense delabatur, insigni confusione Domus Saxonicae Justitiam in nescio qua fundat affinitate. Et si aliquis tanquam in compendio varia permixtionis exemplum capere velit, Historiam Danicam post insignis illius Margarethæ excessum hauriat ex Munsteri Cosmographia, Petri Bertii Genealogia, imo ex Lucæ de Linda Lumine orbis, cujus Interpres Germanicus tam fuit infelix, ut non observaret erratum in Latino Exemplari typographicum & Margaretham cum Wol-demaro III. Parentein conjugium mitteret.

Rohanzus

Munsterus
Bertius
Lucas de Linda

Stabius

§. XIII. Sed hic opus non est, ut in remotissimam antiquitatem anxie nimis inquiramus, sicut fecisse videmus Johannem Stabium, qui Maximiliani I. Imp. impulsu, collapsas & obfuscatas genealogias restitutus, Austriacam gentem à Noacho, per Chamum paternis diris devotum ad Scythas & tandem ad Francos deduc-



deduxit. A quo parum absunt, qui notante Limnao Afcania Principes ab Afcena filio Gomeri, nepote Japeti, pronepote Noachi, per incertas ad dubias successiones derivare conantur. Modum etiam transfiliisse patet Autorem, cujus de statu perturbato Francia Discursus lectoribus Germanicis obtulit Sigism. Freyberger. Is enim omnia in Richelio praeter morem historiae admiratus, ejus quoque progeniem a Ludovico Crasso Galliae, & Henrico II. Angliae regibus, nescio qua affinitatum & matrimoniorum prolixitate numerat. Merito tamen summis afficiendus laudibus Magnus ille Nicolaus Rittershusius, cujus Genealogicum opus illustrandis historicis vel solum sufficit, si ex Albizio & Limnao pauca quaedam suppleveris, de Capeti Gallici & Piasti Polonici successione, item de cognatione Sabaudorum, quae praetendunt in regnum Cypri, nec non de Ducibus Pomeraniae ac Stetini, & quod praecipue monendum est, de agnatione stirpis Saxo-Lauenburgicae cum familiis Anhaltinis, ubi cum incipere debuisset ab Alberto I. Saxoniae Electore, ejus abnepotem primo loco ponit, ita ut obscura maneat historia praeteriti in capessendo Electoratu Erici V. Sed quis huic adjungere nolit Reufnerum, cujus stemma Widekindaeum tantam, nobis praecipue, qui sub rura Saxonica delitescimus, praetulit lucem, ut in Serenissimo Electore, splendidissimos ejusdem sanguinis veneremur Agnatos, Regem Galliae, Regem Daniae & Ducem Sabaudiae.

Sigism. Freyberger.

Rittershusius
Albizio
Limnao

Reufnerus

§. XIV. At bone Deus, quae errorum colluvies, si linguarum absit peritia. Posito enim frustra objici Baronio Hebraici Idiomatis ignorantiam, quippe quod in explicandis Pontificum vitis parum lucis afferre potuisset: non tamen immerito Bodinus in Plutarcho & Diodoro, scriptoribus alias laudatissimis, Latinae linguae plenioris desiderat notitiam; nec forte abs re est, quod Floridus Sabinus in *Apolog. adversus Lingg. calumn.* Volaterano in lingua Graeca vel pueriles lapsus ostenderit. Praeteris tamen commendandus est Olearius, qui Persici regni statum describere netas duxit, antequam Persarum linguam sibi reddidisset familiarem.

Baronius
Plutarchus

Diodorus

Volateranus

Olearius

§. XV. An vero historiarum ab aliis consignatarum plane expers esse potest historicus? Affirment ii, quibus pulchrum vi-



Plutarchus videtur à Plutarcho Agesilaum comparatum fuisse Pompejo, mu-
 seam Elephanti, nisi hæc est similitudo, quod uterq; Patriæ liber-
 Sabellicus tatem in agone vidit. Bodinus certe Sabellicum parum com-
 mendat, qui quoniam Venetos cum Romanis conferre non du-
 bitaverat, risum lectoris potius quam admirationem excitavit.
 Nam quæ ejus temporis bellandi consuetudo vigebat in Italia,
 ubi notante Machiavello, Hist. Flor. unus equus caput aut cau-
 dam movendo hostibus terrorem incutere poterat. Imo, ut me-
 morat Justinianus, ubi captis equitum tribus millibus, peditum
 millibus, quatuor omnino cæsi, vulnerati triginta fuerunt; iterum
 cum quatuor aliquando horas durasset pugna, nullus occubuit,
 præter equitem, qui equo excussus & contritus animam efflavit.
 Hæc ne igitur vel cum Romanorum velitationibus comparan-
 da sunt?

Thuanus

§. XVI. Unum adhuc restat, quod omnino negligendum
 non est, Reipublicæ circumspecta scientia, quis gentium sit status,
 quæ leges, quæ arcana, quæ potentia, in quarum historiam expa-
 tiari lubitum est, cujus rei exemplum suppeditat Thuanus lib. 2.
 qui perscripturus Germaniæ turbas, ejus initio constitutionem
 satis prolixè exponit, ita tamen ut cognoscere possis ab homine
 extero prodiisse opus. Nam cum historici munus sit, ad rerum
 causas ascendere, & de habitis consiliis ex eventu judicare. Reip.
 expers esse non potest. Eadem delicti species videtur, cum Dux
 Aurelianensis & Condæus Regi Galliæ se opponunt; Fridericus
 Palatinus cum multis Germaniæ Principibus Imperatori contra-
 riatur; Lubomirskius Regi Poloniæ turbas facit: Sed qui co-
 gnitum habet, Galliæ formam esse Monarchicam, Germaniæ Mo-
 narchico-Aristocraticam. Poloniæ mere Aristocraticam, facile
 deprehendit discrimen non exiguum.

Cæsar

§. XVII. Egi de iis in quas imperium habet vel Securitas
 vel Ignorantia, nunc quoque ad eos accedamus, qui affectuum im-
 petu concitati, ipsam invertere veritatem pro laude habent. Quos
 non excæcat amor nimius, quos non seducit adulatio? Facile pro-
 fecto non crediderim Cæsari in commentariis de se ipso scriptis,
 nisi cum Bodino sentire velim, metuendum fuisse infamiæ crimen,
 quod mentiturus apud suos hostes facile potuisset incurrere. Pari
 passu

passu ambulat Blasius de Montluc, Francia Mareschallus, qui ne posteritati eriperetur rerum a se gestarum memoria, descriptionem ipse suscepit. Cui addi potest jure merito Anna Comnena, quæ Alexii Comneni Constantinopolitani Imperatoris res gestas contexit, & filia Parentem ornavit. Rara verò avis est, quæ, ut Wheatius Salustium laudavit, fugiendæ adulationis exempla suppeditare queat: Sunt potius qui ad istam amplexandam subministrent stimulos, id quod deprehendimus apud Bodinum, qui cum Reip. Venetæ historicos omnes eodem morbo laborare affirmat, ut meliori in patriam sint animo, quam in reliquas gentes, addit hanc parenthesin, si morbus est suorum popularium dignitatem honesto mendacio tueri.

Bl. de Mont-
luc.
Anna Com-
nena
Salustius
Bodinus

§. XVIII. Sed amor placidè impugnat veritatem, fortius adversatur odium. Hinc quoties Ethnici de Judæis & Christianis, Pontificii de Lutheranis, uno verbo, hostes de hostibus historiam texunt, tantopere se exercent odia, ut vel ad causas privatas dilabi nullus sit pudor. A quo tamen vitio liberandus videtur Emanuel Meteranus, quem quidem Aubertus Miræus in factis Belgicis mendacissimum belli Belgici scriptorem vocat; & Joh. Baptista Berigo, cujus ex Italica lingua versionem Germanicam annus 1653. primo vidit, cum titulo *die grosse Veränderung von Portugall*. His enim tacentibus, Hispanicæ dominationis durities manifesta est.

Meteranus
Berigo

§. XIX. Istud tamen pro certa veritatis nota velim habere, cum amandi vituperantur, odio prosequendi laudantur. Talia enim nemo suscipit, nisi quem apertissima eo adigat certitudo. Guicciardinum Leo X. Pontifex valde ornaverat, sed is vitia ejusdem non dissimulat: credimus igitur scribenti, Thucydides à Pericle in exilium actus fuerat, sed ejus laudes maxima fide persequitur. Josephus Judæus honorificè de Christo loquitur: Florus Germanicus, cujus Autorem præsentissimum nominis Lutherani hostem nominare possit, cum Regem Sveciæ commendat, fidem invenit. Ipse Thuanus melioris historici notas explere melius non potuit, quam si nec Pontificiorum vitia, nec Hugonottarum virtutes dissimularet. Ante omnia verò mirari satis non possum nimiam Jesuitæ Posslevini stultitiam, qui multos historicos ex nullo alio

Guicciardinus
Thucydides
Josephus
Florus Ger-
manicus
Thuanus
Posslevinus

ca-



capite rejicit, quam quod Lutheri sive Lutheranorum honorificam fecissent mentionem.

Cominæus
Meierus
Æmilius

§. XX. Bonum quoque Bodini consilium est, statuentis inter duos scriptores contrarios tertium eligendum esse, qui media quasi incedat via. Additque conspicua Philippi Cominæi, Jacobi Meieri, & Pauli Æmilii exempla, Cominæus, quem Ludovicus XI. variis beneficiis affecerat, ejus quoque laudes pleno ore decantat: Mejerus contra Ludovicum tyrannum, Cominæum patriæ proditorem ac transfugam appellat. Æmilius verò homo Italus, nec odii vel amoris Gallo-Belgici particeps, prudenter ac moderatè inter utrumque tanquam in æquilibrio versatur.

Buchananus
Strada

§. XXI. Sed aliud quoque vinculum est, quod scribentium calamos sufflaminate solet, nimius videlicet merus, qui multos ita occupat, ut historias non in gratiam posteritatis, sed ad voluntatem viventium componi debere sibi persuadeant. Nam pauci Buchananano similes sunt, qui nihil in historia mutare voluit vel deprecante ipso rege: sed potius exprimitur infamia Famiani Stradæ, qui exhibiturus belli Belgici statum, tam honestè loquitur de Inquisitione, malorum omnium lerna, ut qui alias nesciat quid sit inquisitio, ex Strada nunquam sit apprehensurus. Mirari tamen nemo debet, cur qui Phosphorum Austriacum edidit, hunc Autorem in historia Inquisitionis tantopere commendet. Eodem enim laboravit vitio. Atque ista qui secum reputet, inveniat facile, non solum antiquitatem, sed nimiam quoque novitatem historias reddere posse fabulosas.

CAPUT III.

Livius

§. I. Spectandam de di historiae formam internam, videamus nunc externam. Debitis enim coloribus tanta rerum varietas exornanda est, ut formam nanciscatur lectoribus gratam ac jucundam. Istud autem pulchrius effici non potest, quam si debitus ordo adhibeatur, ne, quod evitavit Livius, nimia varietas in confusionem prolabatur.

§. II. Sciat igitur, quæ initio, quæ in fine sint collocanda, & in historiis præsertim universalibus, quantum ego quidem
judi-

judicare possum, temporis potius, quam rerum inter se distin-
ctarum observet ordinem, quemadmodum in Thuano, Sleidano, Gramondo, Brachelio, &c, conspicimus, Gallia Germanis, Hispanica Italicis, Cimbrica Polonicis subinde esse permixta, sicut eadem unum tempus conjungere voluit.

Thuanus
Sleidanus
Gramondus
Brachelius

§. III. Nunquam profecto eò perducere me patiar, ut qui infeliciter imitatus est Florum Latinum Florus Germanicus, sua mihi placeat dispositione, ubi omnia nimis curiosè ordinaturus, in majorem incidit confusionem. Cur enim Bohemicum bellum divideret à Lusatico, Austriacum à Moravico, cur ab iis separaret motus Transylvaniæ, cur peculiari capite tractaret turbas Palatinas & Mansfeldenses, cum tamen ista omnia ex eadem origine non solum profluxerint, sed eodem tempore & iisdem ferè personis acta fuerint.

Florus Germanicus

§. IV. Alia etiam est cautio, quam adhibere ipsa jubet necessitas, ne videlicet ea omittantur, quæ prolixam requirunt narrationem, quo vitio laborant Hugonis Grotii annales, ubi direptiones Antverpienses, horrendissima illa sævitia Hispanicæ exempla, perfunctoriè saltem & plus quam frigidè attinguntur. Laudandus vero Dionysius Halicarnassens, qui, quod ea quæ Latini quasi pervulgata neglexerant, puta sacrificia, ludos, triumphos, Magistratum insignia, tum universam in gubernanda Rep. Romanorū disciplinam, censum, auspicia, comitia, totiusq; populi difficilem in tribus ac classes partitionem, Senatus auctoritatem, jussa plebis, Magistratum Imperia, populi potestatem, aliaq; accuratissimè descripsit, magnam posteritati lucem prætulit. Nam quæ Reip. nota sunt, exteris statim nota ac vulgaria esse non possunt.

Grotius

Dionysius Halicarnassens

§. V. Sed in iis, quæ caput rei parum tangere videntur, pressior ac brevior sit scribentis oratio, quod an ubiq; attenderit Guicciardinus, minutissimorum accuratus observator, multi dubitant. Sunt etiam quæ optimo jure prætermittantur silentio. Nam quid refert scire, quando Principes operam dederint venationibus, coluerint spectacula &c. talia enim in aulis aliter contingere non possunt, nec nova sunt.

C

Col-



Colmarienses Dominicani, qui in suis Annalibus ne Gallinas quidem cum suis ovis præterire potuerunt.

Herodotus
Thucydides
Æmilius

§. VI. Dispositionem genuina excipiat sermonis pulchritudo, potiusque efformetur Herodotus quam Thucydides. Sermonis vero prima virtus est puritas, quæ tamen ad quasvis voces non est extendenda, quemadmodum Paulus Æmilius nimio vetustatis amore, quæ ab usu & consuetudine immutata fuerant, obsoletis nominibus ad obscuritatem usque exprimere voluit, e.g. Regem Arragoniæ, Tarraconensem, Castellæ, Castulonensem, Ducem Geldriæ, Gelbudensem, titulis vix antiquitati notis dixit. Eodem flumine navigavit Bembus, qui præ nimia anxietate Imperatorem Turcicum Regem Thraciæ, Ducem Mediolanensem Insubriæ Regem vocavit. Imo sunt qui Thuano id tribuant, perduxisse eum nomina Belgica ad Gallicam facilitatem, ita tamen ut à Belgis sæpius non fuerit intellectus.

Bembus

Thuanus

Cromerus
Crusius
Jovius

§. VII. Altera virtus est perspicua brevitatis, quam in Cromero & Crusio ob prolixas digressiones desiderat Keckermannus, nec abludit à vero, quod Bodinus in Jovio carpit, qui prolixa oratione Selimi crudelitatem ad nauseam usque depinxerat, cum tamen idem efficere potuisset, si tres Bassos, fide & affinitate conjunctos, duos fratres, quinque fratrum liberos, imò ipsum Parentem senio jam confectum, ab eodem necatos simplici stilo ostendisset.

Bembus

Sabellicus

§. VIII. Tertia virtus est Ornatus, non ut aliquis cum Petro Bembo superstitiosa religione Ciceronem efformet. Nam qui floridum dicendi genus consecrantur, & nimio sæpe mundo student, non raro ab immundo propius absunt, quod Christophori Crusii est judicium, de scriptoribus ex Oriente progressis, referente Whearo. Sed is ornate scripsisse dicitur, qui verborum & sententiarum delectu instructus sibi semper est similis, facilemque cujusvis Eruditi invenit intellectum. Proinde hic commendari non potest. M. A. Sabellicus, de quo sinistra satis Erasmi ac Ludovici Vivis judicia. Ille enim in Ciceroniano ait, versatum fuisse in historia sat splendide, sed in hac tantum, quæ suum dicendi genus desideraret. Hic ait, illum fluere plenum, sed luculentum
quan,

300.

quandoque ac similem ei auctori, à quo res desumat, ut colorem videatur mutare cum solo, per quod omnino tanquam fluvius decurrat,

§. IX. Restant aliqua de iudicio Historicorum, quæ quia nostrum brevitatis studium nimia prolixitate distrahere posse videntur, alio reassumenda tempore seponuntur. Concludo igitur h. l. verbis Degorei VVheari, Prælectoris Cambdeniani in Academia Oxoniensi. Cum in pulcherrimæ alicujus puellæ corpore, si quid nævi occurrat inspectanti facile condonetur: Cur non pauculos quosdam errores, in concinno alioquæ utilique opere non promptè Auctori ignoscamus?

COROLLARIA.

1. Copula non est pars propositionis.
2. Pie creditur, nec impiè rejicitur, Cicadas in Calabria jussu Apostoli Pauli obmutuisse.
3. Incredible est, quod Procopius dicit. Cinerem Vesuvii Byzantium usq; per ventos fuisse dispersum.
4. Princeps non potest puniri.
5. Duo sunt exempla Regum publico supplicio affectorum, Conradini in Sicilia & Caroli I. nuper in Anglia, ast eorum diversa est Justitia & Injustitia.

7. Bo-

10310.

ax 11/27/16

- 6. Ducis titulus in Germania Principis nomine superior, in Gallia inferior est.
- 7. Bohemia Germaniæ pars est.
- 8. Rutam in insignibus hodiernis, Saxoniam Ducibus concessit Sigismundus Imp.
- 9. Pontificatum in summo fastigio vidit Julius II.

S. D. G.



7. Bo.

Von

AC




992

ponat
in diver
de ope
historia
pellat, 3
scelerat
fapiend
stor. par
tatis la
tamen,
Annali
p. 47. Br
historia
Italus, c
di vide
Plato in
nostros
non dul
dem hi
rima in
nem m
cesse ef
vel si re
tem inc
tuti rati
bus, ita
interna
de Adju
rentem

Herodotus
Thucydides.

S Ple
ini
Vo
Di



celeberrimos viros
m est, praefertim si
jubeantur: Taciti
odinus divinam ap-
acisimum, Budæus
videntiæ, corculum
art, Zeil. Indice Hi-
m paucis ast accu-
sel. lib. 16. cap. 43. ita
manno Brunnerum
e nat. & propr. Hist.
is de Gvicciardino,
Thomas Porcacius
a Angleriana egre-
ones, quas quidem
eum vocasset inter
mediocrem appellare
Leo, in suis de ejuf-
83. multa imo plu-
dis consummatio-
ngrediar viam ne-
urimis displicuero,
d in optimam par-
gressurus, ut insti-
absolvam capiti-
a, deinde de forma
iter agam. Nam
si vivam, me disse-
gitur & pulchrum
itate attentionem;
Atq; id est, cur
hucydidi multum
præ-

